





1784, 13  
14  
668

COMMENTATIONIS  
DE  
AVGVSTAE IMPERATRICIS  
IVRE PRIMARIARVM PRECVM

SECTIO PRIMA.

---

QVA PRAEMISSA

AD ORATIONEM ADITIALEM

DIE XV. OCTOBR. AN. MDCCCLXXXIV.

HORA XI. HABENDAM

INVITAT

IVSTVS FRIDERICVS RVNDE

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR, POTENTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI  
AR AVLAE CONSILIIS, IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
IVRIS PROFESSOR PVBL. ORDIN. ET FACVLTATIS  
IVRIDICAE ASSESSOR.

---

GOETTINGAE,

LITTERIS IOH. CHRIST. DIETERICH.

ACAD. TYPOGRAPHI.





§. I.

*Origo et natura iuris primarum precum.*

**Q**uanta inter Pontificem romanum et Imperatorem fuerit de collatione beneficiorum contentio, neminem, qui vel le- viter historiam Germaniae degustauerit, fugere potest. Pontifices quidem genio Hildebrandino, quasi diuino numine afflati, nouosque semper progressus in systemate hierarchico ad despoticum sacrum molientes, de adipiscendo hoc maximi momenti iure, Imperatores vero de retinenda eius possessione per secula iam continuata summo nisu et omni armorum genere inter se di- micabant. Euenit tandem, quod saepenumero in eiusmodi alter- cationibus accidere solet, vt cum neuter alteri iuris istius exerci- tium concedere vellet, vterque illud ecclesiae vel universitatibus ecclesiasticis relinqueret. Ex quo tempore iuxta politiam ecclesiae vel electione canonica, vel nominatione et praesentatione iure patronatus facta, tanquam prouisionibus ordinariis, opus erat, si quis canonice ad beneficium promoueri vellet. Pontifices vero per preces et commendationes ad ordinarios collatores directas, id agere solebant, vt bene de sede sua meritos ad lautiora beneficia eueherent. Rogabant nempe attenius, pro beati Petri et suarum re- verentia litterarum, ut honor qui primus in ecclesia vacaret, concedere- tur ei, qui ab ipsis denominatus erat; immo pro admissione *Pre- cum gratiarum actiones se exsoluturos esse* spondebant <sup>a)</sup>. Quae pre- ces vt plurimum quidem efficaces erant; ne tamen negligerentur, mox mandata intermischabant, et pro certiori obseruancia execu- tores contra reluctantes constitutare solebant. Vnde seculo deci-

mo tertio moris fuit, *pretes armatas dare*; scilicet *monitorias* primo, quibus non obseruatis, *praeceptorias et executorias* adhibebant; hac tamen moderatione, vt non nisi semel eiusmodi preces ad eandem ecclesiam mitterent *b*). Pontificum exempla in huius generis prouisionibus extraordinariis Imperatores quoque secuti nobis videntur, dum similes preces bene meritis impertiti sunt; et ordinarii collatores, quod pontificis precibus indulserant, Imperatori summa ecclesiae Christianae aduocatio fungenti denegare non poterant; indeque successu temporis et huius preces iuris perfecti naturam induerunt *c*). Pari res in aliis quoque regnis Europae successit ratione; ad quam animum aduertere ideo praeprimis operae pretium est, quia prima eaque certissima vestigia incliti iuris primarum precum imperatori, regibus, aliisque principibus competentis in ea obseruare licet *d*). A RVDOLPHI I. temporibus inde, vsque ad FRIDERICVM III. imperatores in dandis eiusmodi precibus *ad antiquam et approbatam consuetudinem* quasi uno ore prouocant; nec aliud fundamentum iuris sui agnoscunt, licet nonnulli vel coronationis vel regiae potestatis auspiciorum mentionem faciant, vt scilicet moneantur ordinarii collatores, quo tempore, quae solemnis occasione preces ad ipsos fuerint directae *e*). Ius ergo primariarum precum hac ratione introductum obseruantia tantum antiqua nititur, eiusque indolis est, vt imperans durante ipsius regimine precistam idoneum ad vnicum beneficium in capitulis singulis imperio suo subiectis vacaturum hoc effectu nominare possit, vt in eius collatione pro hac vice ordinarii collatoris ius cesseat.

*a*) Eiusmodi verbis e. g. usus est Papa HADRIANVS IV. epist. 13. ad Episcopum Parisiensem directa.

*b*) Testimonia huius rei vide apud I. H. BOEHMERVM in iure ecclesiast. Protest. Lib. III. Tit. V. §. 100.

*c*) Optime rem illustrat antiquissimum inter huius generis diplomata, quae usque ex Archivis in lucem protradata sunt, in quo Imperator CONRADVS IV. similiter *rogat et moret attente*, vt clericus, cui primicias precum suarum concederat, in ecclesia Hildesheimensi recipiat, pro sua reverentia maiestatis, vt exinde *positiones capituli, anatescumque sibi oblate fuerint, tenentur favorabiliter exaudire*, vid. SENKENBERGH tractatum nota sequenti citandum, in codice probationum, Adiunctum I. pag. 9. Eiusdem fere tenoris sunt preces

RUDOLPHI I. quibus regat et regia auctoritate monet, et cum nihil feciis preceps ipsius neglectae fuissent, cum minus interpellat, et expressis verbis addit, easdem regis precis in se continere speciem mandatorum. vid. WVRDIWEINII subtilia dipl. T. II. pag. 2. ALBERTVM I. vero inobedientiae et rebellionis criminis neglegitum precum suorum immorigeris vestisse, docet rescriptum ad capitulum Aquisgranense, apud GVDENVM in Cod. dipl. T. II. pag. 989.

- d) Evidem non ignoramus, alios scriptores huius iuris originem in iure maiestatico eique ammexo iure factorum quaesuisse, alias vero alia fundamenta plausisse; sed a priori, quod ajunt, haec opinione magis conceptae, quam ex ipsis rerum argumentis deponitae, nec rebus gelitis conuenire videntur. Ad iudicium papalae vero in ineftiganda origine et ratione fundamentali iuris primiarum precum configere, arrogantiae et viuationis romanae specimen est, cui profigendae nouissime colophonem addidit HENR. CHRISTIAN. L. B. DE SENCKENBERG in tractatu de iure primarum precum regiam Germaniae imperatorumque indulta papali bind indigente; quem edidit filius Renat. CAR. L. B. DE SENCKENBERG. Francof. 1734. in 4.
- e) Diplomata ad unum fere omnia haec probant, quae videlicis in codicibus probationum AVVERI et SENCKENBERGII commentationibus de iure primariorum precum annexis.

## §. II.

### *Argumenti ratio et sors.*

Cuius iuris praeter imperatorem et reges, etiam Principes imperii in capitulois territorii ipsorum participes factos esse; nemo facile mirabitur, cum et hi exemplum imperatoris sibi ad imitandum proponere, et qua gaudebant potestate ciuili et aduocatio ecclesiastica precum suarum auctoritatem et efficaciam quovis modo defendere poterant a). Sed hoc maiori admiratione dignum, idem quoque ius tam cum imperatrice Augustae, quam cum vxoribus principum ac comitum imperii per obseruantiam communicatum fuisse. *De iure primariorum precum vxoribus ordinum imperii competente* sub praesidio consultissimi SCHOTTII disputatum est b). Augustarum imperatricum vero causam in exercendo iure primariorum precum, praeter scriptorum iuris publici et ecclesiastici longam seriem, qui vel in ipsorum systematis ad hanc quaestionem deuenerunt, vel materiam de primarum precum et Augustarum iure sibi illustrandam sumserunt, etiam duo Iureconsulti nominis claritate post fata adhuc florentes ex instituto egerunt c). Mini-

A 3

me

me tamen verendum est, ne actum agatur, dum misso, pro praesentis instituti ratione, argumento de precibus primariis vxorum imperii statuum, illustri themati de imperatricum Augustarum iure iteratas curas impendimus, cum nobis praetermissa quaedam supersint, quae spicilegium, si non ipsam messem vbertate vincens, haud tamen ei impar conficiunt. Cum autem omne primiarum precum ius neque ex legum praescripto, neque ex pactis publicis, sed ex consuetudine ipfas leges ecclesiasticas et imperii fundamentales, nec non conuentiones inter nationem germanicam et sedem romanam initas limitante et circumscribente ortum sit, neglecto sive numero sive auctoritate scriptorum: verae eius, quatenus iura imperatricis spectat, indoli ex ipsis monumentis eruentiae ante omnia operam nauabimus. Quapropter non tantum documenta eiusmodi preces continentia, vt fontes huius iuris limpidisimos, adducendo, sed et fidem eorum ab omni dubio vindicando operaet premium nos facturos esse, confidimus; idque eo magis, cum sit parvus eorum numerus, quae ex archivis hucusque fuerint edita; quorum si maior esset copia, etiam nonnulla argumenti nostri capita melius illustrari potuisse, lubentissime fatemur. Interim quisquis benevolus haec legerit, contentus erit, si tam praeftiterimus, quantum pro subsidiorum diplomaticorum infrequentia potuerimus.

- a) Ex scriptorum numero, qui hoc ius principum imperii suis scriptis illustrant prae ceteris sunt adeundi MICH. HENR. GRIBNER in opusc. inv. publ. T. I. pag. 181. AYRER I. c. cap. IV. Ioh. IAC. MOSER von der Landeshoheit im Geistlichen pag. 147. 282. et 462. seq. et DAN. NETTELBLADTS Abhandlungen von den wahren Gründen des Rechts der ersten Bitte der Landesherren bey den mittelkaren Stiftern in ihren Ländern; wie auch von einigen dieſes Rechts betreffenden Fragen; que cum aliis duobus commentationibus iuris ecclesiastici iunctim editas sunt Halae 1783. in 8.
- b) Lips. 1770. Respondente CHRISTIANO FRIDERICO HUMMITISCH.
- c) GE. FRID. DEINLINVS exercitatione de iure primiarum precium imperatrici Augustae competente. Altorfii 1743. et GOTTL. AVG. JENICHEN von dem Rechte der ersten Bitte einer römischen Kayserin; eine Vorrede zu den ganz neuen Zufügungen zu dem Lünigischen Staats Titular Buche. Leipzig 1784. Cuius præstationis editio secunda auctor sub titulo: Diplomatiche und rechtliche Abhandlung von dem Rechte der ersten Bitte einer römischen Kayserin. Gießae 1757. in 4. prodiit.

§. III.



## §. III.

ANNAE Imperatoris Caroli IV. Coniugis primariae  
preces.

Documentorum, quae primas Imperatricum preces continent, hucusque nullum ex archiis protractum typisque traditum est antiquius literis ANNAE Imperatricis Augustae, Coniugis Imperatoris CAROLI IV. primarias preces ad Magistrum ordinis Sti. Ioannis Hierosolymitani directas referentibus, quas e codice chartaceo Bibliothecae Paulinae Lipsiensis edidit IOH. BVRCH. MENOKENIVS a) sunt vero sequentis tenoris:

ANNA Dei gratia etc. Religioso ordinis Sti Iohannis hospitalis Hierosolymitani Praeceptori per Alemanniam generali deuoto nostro dilecto gratiam regiam et omne bonum. Quia priuilegia memoriae diuiae Rom. Imperatrices et Reginae CIRCA ASSUMPTAE REGIAE DIGNITATIS PRIMORDIA, tam EX IURE QVAM APPROBATA CONVENTVDINE et laudabiliter DIVITIVS obseruata, ad QVAEVIS religiosa et dedicata loca PRECES SVAS PRIMARIAS pro una persona, vt ad habitum religionis admitteretur, dirigere conuererunt. Nos ipsarum vestigia iuris ordine et ritu obseruari confuetu[m] imitari volentes, vt earum vtamur iuribus, confuetudinibus et priuilegiis, quibus disponente Dei gratia paribus incessibus coaequamur, deuotioni tuae primarias nostras preces huiusmodi pro dilecto nobis Clerico nato N. fidelis nostri dilecti accurate dirigimus, eandem deuotionem tuam affectuoso studio requirentes, quatenus tu non solum consideratione talium precum vel iuris, nobis circa consecutionem talium competentis, verum etiam ob nostra maiestatis reuerentiam singularem, dictum, sicut alias te rogassem meminimus, spiraculo viuae vocis, in aliquo ex Domibus Alman. tuae ditioni et praceptorio b) subiectis, recipi, constitutas ei in confratrem sibi facientes de praebenda iuxta ordinis tui ritum et obseruantiam prouideri, ius nostrum et confuerudinem conseruaturus totaliter, et sic nostris precibus obtemperans sicut te in quibuscumque tuis

tuis iuribus, gratiis et libertatibus, tibi et ordini concessis, ibidem diligent c) a regia celsitudine gratiosius confoueri. Datum etc.

Ad fidem diplomatis huius quod attinet, facile cuilibet damus, illud non esse authenticum, vel ex autographo a MENCKENIO, eoue editore, quem SENKENBERGIVS fecutus est descriptum; cum neque locum et tempus adiectum habeat; neque nomen Precistae prodat. Quae quidem in dubio relinquent, vtrum a secunda, an a tertia CAROLI IV. coniuge hae litterae fuerint datae; vtrique enim ANNAE fuit nomen; minime tamen efficiunt, vt pro spuriis vel supposititiis habeantur, vel facti in iis contenti veritas in dubium vocetur. Etenim non tantum omnis suspicio fraudis ab iis quam longissime absit, sed etiam exemplaria, quibus vterque editorum usus est, in essentialibus per omnia inter se congruunt, et non nisi leviter discrepant. Sed accedit et alia veritatem facti et autoritatem diplomatis euincens ratio. Codex scilicet iste, ex quo MENCKENIANA haec particula decerpta est, teste ADAMO FREDERICO GLAFEY d) fuit libellus rhetoricus, a Monacho recentioris quidem aei conscriptus, ita tamen, vt quasdam CAROLI IV. literas, in exemplum epistolarum bene compostarum adiecerit. Cui cum ad doctrinas suas illustrandas neque nomine proprio personarum, neque die et consule opus visum sit, formula ceterum bene concinnata contentus, reliqua iure quidem optimo omisit. Ex hoc ipso autem momento, quod monachus iste, vel quisquis libelli istius rhetorici autor fuerit, exemplar eiusmodi litterarum suae collectioni inserere fructuofum duxerit, de Augustarum precum frequenti usu abundantius, quam ex uno altero autographo constat; cum harum formulae collectiones hac in primis ratione conficiantur, ne in iis et loquendi et scribendi norma desit, ad quam in rebus quotidie expediendis sermonem dirigere possis. Ideoque etiam hae formulae in mediis et antiquioris aei iuribus erundis semper maximum usum apud harum rerum peritos obtinuerunt.

runt. Quae quidem lectores vel eam ob caussam monendi erant, ne forte quis HEVMANNO, Viro ceterum de scientia iuris patrii optime merito, temere credit, dum fidei huius diplomatica a celeberrimo GLAFEY in praefatione anecdotorum nonnihil detracitum esse, afferit. Salua enim omnino res est, nec GLAFEY id egit, ut diploma nostrum suspectum redderet; quin potius diplomatarii sui, tanquam Codicis autographi Imper. CAROLI IV, praestantiam tantum ob oculos ponere studuit, ut eo magis de vsu eius *historico* appareat; cuius habita ratione vtique MENKENIANVM illud fragmentum longo interuallo post se relinquit.

a) In diplomario Caroli IV., quod extat Tom. III. Scriptor. ver. germ. pag. 2011. Quem in etendo hoc diplomate secuti quoque sunt: AVTR l. c. in appendice N. LXXXI. p. 269. DEINLEIN l. c. §. IV. pag. 22. IOH. HEVmann in commentariis de re diplomatica Imperatorum Augustarum ac Regnarum Germaniae §. CLXVII. pag. 220. SENCKENBERGIVS autem qui in Codice probationem tractatus citati N. XXXI. pag. 34 idem documentum exhibet in ipso tractatu §. XXXI. alio ex fonte, quem adire nobis non licuit, illud se haufisse afferit. Sunt autem in hac editione quaedam variantes letiones lectoris momenti quidem, quas notare tamen parum superfluum putauimus, scilicet ut eo maior quoad reliqua capita consonantia diplomatica apud lectorum fidem sit.

b) praeceptoris. SENCKENE.

c) diligas. SENCKENB.

d) In praefatione collectionis *Anecdotorum S. R. I. Historiam et ius publicum illiusfratium* Dresdae et Lipsiae MDCCXXXIII. in §.

#### §. IV.

ELISABETHAE eiusdem Imperatoris coniugis preces  
primariae. d. a. 1369.

Sed et quartam Imperatoris CAROLI IV. vxorem ius primiarum precum exercuisse, nunc constat. Erat haec ELISABETHA Romanorum Imperatrix Augusta, BOGISLAI V. Ducis

B Pome-

Pomeraniae filia, quae anno MCCCLXIII. thalami imperialis consors facta, anno MCCCLXVIII. vero Romae a Papa VRBANO V. coronata est. Litteras, quibus preces suas primarias conuentui Monialium in Niedermünster Argentinensis Dioecesis mandat, ex Manuscripto Archiali primus edidit SENCKENBERGIVS a). Sunt vero hisce verbis conceptae:

ELISABETH. Religiosis N. Abbatissae et Conuentui monasterii in Niedermünster Argentinensis Dioecesis, deuotis suis dilectis gratiam suam et omne bonum. Assumptae diuinitus quamuis insufficientibus meritis ad culmina caesareae dignitatis libenter personas ecclesiasticas promouemus, eisque gratias nobis a Deo collatas libenter impertimur. Cum igitur nobis tam *ex iure*, quam *antiqua* et dudum *approbata confuetudine a Romanorum imperatricibus predecessoribus nostris diuinus obseruata competit*, quod ex nostrae *coronationis solemnys*, quae in nobis iam dudum sunt nutu diuino completa, virtute *primiarum precum possimus in qualibet Ecclesia tam Cathedrali, collegiata quam conventionali facere vii personae idoneae prouideri*, eamque inibi recipi et admitti. Idcirco deuotioni vestrae *pro dilecta nobis Agnete filia Heinrici de Andla primarias offerimus preces nostras*, eandem deuotionem vestram *hortantes attente*, vobisque nihilominus per *Caesarea scripta mandantes*, quatenus eandem Agnetem in vestri Monastery Monacham et consoribus mox vijs praefentibus b) sine contradictionis obstaculo *velitis et debeatibus assumerre*, sibique prout alteri de vestris consoribus de fructibus et obuentibus quibuscumque dictae praebendae faciatis integre responderi et cum tali diligentia *mandatum nostrum exequi* vestra sollicitet deuotio, quemadmodum iura, libertates et gratias, quibus Monasterium vestrum diuarum Imperaticum *insigniuit deuotio*, custodire diligitis, et nostrae mansuetudinis favoribus ampliari. Praesentium sub appenso nostro sigillo testimonio litterarum Datum Budissin anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, Indictione Septima, Decima Calend. Decembris, Regnorum nostrorum anno septimo, Imperij vero secundo.

Adsumt



Adsumt in hoc diplomate notae autographi characteristicae quaecunque; et si forsan in formula finali Regnorum et Imperii annos prodenti aliquid offenditerit lectorem, hanc ob causam ipsi in recensione sequentis documenti farisfactum iri spondemus. Illud tantum in praesenti admonendi sumus, numerum annorum in hac formula tempori initi matrimonii et coronationis imperialis exactissime respondere.

a) In Codice probationum tractatus laudati N. XXXII. pag. 32,

b) Recedunt haec verba ab eiusmodi precum tenore vulgari; regulariter enim in omnibus beneficiis proxime vacaturum petitur. Sed fortassis ipso datarum precum tempore de vacante aliquius beneficii iam constabat, ideoque peti poterat, ut precista statim visis precibus assumeretur.

### §. V.

ELEONORAE, Imperatoris FRIDERICI III. Coniugis,  
preces primariae. d. a. 1459.

Sequuntur iam temporis ordine preces Imperatricis ELEONORAE, Caesaris FRIDERICI III. vxoris Augustae; quorum matrimoniale vinculum summus pontifex NICOLAVS V. die XVI. Martii anni MCCCCCLII. Romae solitis caerimoniali adhibitis constrainxit; utrique tamen praecepit, ob reverentiam sacramenti carnalem copulam intra triduum ne iungerent. Inde vero euenit, ut cum die XVIII. eiusdem mensis FRIDERICVS solemnri ritu in Imperatorem consecraretur, etiam ELEONORA virgo, nouo et omnino inaudito exemplo, imperiali diademate condecoraretur. Sed haud opus fuisse sacerdotali abstinentiae praecepto, ex iis adparet, quod et postea ante redditum in Germaniam virginem vxorem cognoscere FRIDERICVS recusauerit, rationem addens, ne italicus sibi sanguis nasceretur; eumque non nisi hortante Alfonso Siciliae rege ad matrimonium Neapolii consummandum fuisse commotum, testis est AENEAS SYLVIVS a).

B 2

FRI-



FRIDERICVM III. autem inter imperatores nostros primum esse, qui papali indulto in exercitio iuris sui primariarum precum locum dedit, iam satis constat; id tamen non ex iuris necessitate, sed libera voluntate et executionis facilioris causa confirmationisque iuris quaefti loco factum esse, nouiflme argumentis firmauit SENCKENBERGIVS b). Nemo autem non intelligit, Fridericum imperatorem, vt pro iudicio cuncta suo gerere, nihilque consiliis amicorum tribuere solebat, et hoc indulto papali accipiendo sat incaute egisse. Cum indultum istud primum statim coronatione Romae peracta impetratum sit, similem quoque permissionem de iure precum in capitulis sequioris sexus exercendo a Papa ELEONORAE imperatrici datam esse, suspicatur HAEBERLIN, Vir de historia patria meritissimus c); quod tamei deficientibus incorruptis rerum gestarum monumentis, nec affirmare nec refellere in animo est. Illud vero negari nequit, coniecturam aliquo modo a vero abhorre, cum non tantum nulla probabilis ratio occultandi indulti subsit, quin potius aulae romanae illud omni modo diuulgari interfit. Iam vero ad ipsas huius imperatricis primariarum precum literas quod attinet, hodie inter harum rerum peritos de tribus huius generis diplomatisbus constat. Primum idque maxime famosum primarias preces ELEONORAE Augustae ad Coenobium Buchauense continet, quod post CHRISTOPHORVM BE-SOLDVM d), AHASVERVS FRITSCH e), GERARDVS VON STOEKKEN f), AYRER g), DEINLEIN h), HEVMANN i) et SENCKEN-BERG k) exhibent. Attamen commoditati Lectoris inferuentes, illud et hoc loco repetere nos haud taedet:

Wir Leonore von Gottes Gnaden Roemische Kayserin,  
zu allen Zeiten Meherin des Reichs, in Hungarn, Dalmatien,  
Croatien Koenigin, Herzogin zu Oesterreich, und zu Steir  
etc. Entbieten der Ehrwurdigen Margrethen, Aptissin, vnfer  
Furstin vnd dem gemeinen Capitul des Gotteshaufs zu Bu-  
chow etc. Vnfere Gnade vnd alles guts: Ehrwurdige Furstin,  
vnynd Ehrsamien lieben Andächtigen. Wann Wir aus Kayser-  
licher

licher vnd angeborner Güte, Erbarn vnd Wollerdienten, vnd besonder gelehrten Personen, zu gnädiger Fürderung geneigt seyn, vnd dann der Ehrsam Meister Conrad Gaeb, Licentiat in Geistlichen Rechten, des Allerdurchlauchtigsten Fürsten, vnsers Gnädigsten lieben Herrn und Gemahls, des Roemischen Kaysers etc. Capplan vor vnser Keyserlichen Majestäet, vmb seiner Frömbkeit, Kunst vnd ordentlichen Wesens willen, geruhmt ist, darumb Wir ihm zu gnädiger Fürderung vnd Gnad zu beweisen geneigt seyn, vnd Wir nun zu euch sonder Vertrawen haben, ihr seyet vns *vnser zimlichen Bette*, zu Ehren willig vnd geneigt. Davon so begehrhen *Wir* an ewer Andacht, mit sondern *Fleis* ernstlich bittende, das ihr vmb dieser *vnser ersten Bette* willen, und *vnser Keyserlichen Mayestät* zu *Ehren* vnd Gefallen, dem benannten Meister Conraden, ein *Gottsgab* ewer *geistlichen Lehenſchaft*, wenn die euch am nechſten ledig, vnd er, oder sein Procurator von seinen wegen die an euch begehren vnd erforderen wurdet, vnd für minlich verheiset, vnd in vn Irrung darzu kommen laſſet, damit *Wir* erkennen mögen, dass *diss vnser erste Bette* bey euch würdige statt empfangen, vnd de vorgenannte Meister Conrad der günstlich empfinde genoffen haben. Daran thut vns ewer Andacht fonder Dankung vnd gut Wolgefallen, vnd wir wollen das auch gegen euch, vnd ewerm Gottshaus gnädiglich erkennen, vnd in Gna den nicht vergeffen. Geben zu der Newstatt am Samstag nach dem heiligen Pfingstag Anno Domini quinquagesimo nono, *vnser Keyserthums im Achten vnd des Hungryischen Königreichs in dem ersten Jare*

Commiss. Dn. Imperatricis propria.

a) In *historia rerum FRIDERICI III. Imperatoris*, ex editione SCHILTERI p. 84.

b) L. c. §. XL. seq.

c) In praefatione ad Tom. VI. des *Anzugs aus der allgemeinen Weltgeschichte*.

d) Qui diploma illud primum edidit et submixit dissertationi *de statibus et conditionibus* *confessoris* in fine pag. 203. Exstar vero haec dissertatione inter autoris *dis cursus politicos singulares de informatione et conditione subditorum* (Argen terati

torati 1626. in 4.) Nro. III. Vnde acceperit diploma ELEONORAE his verbis narrat BESOLDVS: "Mibi a Cognato meo, Viro Nobili et Strenuo Dn. „Nicolao Ockfenbachio, Capitaneo Arcis Tubingensis, benebole communicatum."

e) Qui diploma istud bis publicauit; scilicet in tractatu de imperiali primavarum precum iure, Manifsa II. inter opuscula varia pag. 129; nec non in tractatu de Augusta romanorum imperatrice, eiusque iuriis cap. VIII. ibid. pag. 636.

f) Dissert. de prec. primar. imperatoris thes. LXXV. pag. 46.

g) L. c. in append. N. LXXX, pag. 267.

h) L. c. §. 4. pag. 20.

i) Comment. de re diplom. imperaticum §. 183. pag. 357.

k) l. c. in Codice probat. Adjunctum XI. pag. 55.

## §. VI.

### *Fides hujus diplomatis.*

De fide et integritate huius diplomatis diu multumque inter eruditos disceptatum fuit. Imposturae speciem illud praese ferre opinantur IOH. CHRISTOPH. WAGENSEIL a), IAC. CAR. SPENER b), IOH. FRIDER. PEEFFINGER c), MICH. HENR. GRIBNER d); et saltem stilus eius quadantenus dubius videtur SENCKENBERGIO e). Contra falsi suspicionem ab eo depellere studuerunt DIDERICVS SMIDT f), GEOR. FRID. DEINLEIN g), IOH. HEVMANN h), et GOTTL. AVG. IENICHEN i), quem etiam sequitur ANTONIVS SCHMIDT k). Imprimis autem formula initialis: *zu allen Zeiten Mehrerin des Reichs*; nec non finalis: *Vnseres Kaiserthums im achtend des Hungarischen Königreichs in dem ersten Jahre*, interpretum animos adeo follicitarunt, vt tabulas ipsis propterea suspectas vel suppositicias iudicauerint. Etenim haec scribendi ratio non tantum a consueto Cancellariae imperialis stylo aberrare, sed etiam formae reipublicae Romano-Germanicae omnino contraria ipsis videbatur; et nescio quid indecori praeterea formula initiali se reperiisse simularunt, qui diploma illud sub censuram vocarunt. Ut autem haec dubia remoueantur, primum omnium difficultatis, qua tota Augustarum

rum res diplomatica premitur, ratio habenda est. Etenim harum codicillos multo difficilius Imperatorum diplomatibus ad artis normam examinari posse, haud quisquam inficias ibit, cui plures Augustarum tabulas inspicere earumque tenorem et formam internam externam comparare volupe est. Cum enim non adeo frequens et quotidianus earum sit usus, neque specialem cancellariae curam in iis conscribendis expediendis possumus miraberis; taceo, quod etiam incuriae et imperitiae scribarum, maxime in mediis laevis tenebris nonnihil dandum sit. Licet ergo eiusmodi litteris quaedam a consueto stylo aberrantia et inter se parum congrua, vel formulae singulares et in aliis minus visitatae occurrant, haec omnia diplomatis ceterum integratissimam speciem habentis fidem et decus euertere nequam possunt. Hinc et decantatas Imperatricis ELEONORAE preces, licet earum formula initialis et finalis insolita esset, mendosus vel commentitiis libellis haud adnumerauerim.

- a) Com. de imperii officialibus et subofficialibus cap. VII.
- b) Staats-Recht Th. VI. p. 242. not. d.
- c) In Vitriov. illustr. T. III. pag. 99.
- d) Diff. de proc. prim. Vicar. imp. §. ult. in opusc. T. 2. pag. 132.
- e) L. c. §. XLV. not. c. pag. 47. Cf. PETR. AB ICKSTATT diff. de caesareo primariato precum iure §. 39. Schol. II. in ANTONII SCHMIDT thesauro iuris ecclesiastici. T. V. p. 245.
- f) diff. de iure primariorum precum secundum pacem Westphalicam ad art. V. §. XVIII. et XXVI. I. P. W. (Traiecti ad Rhen. 1736.) Sect. III. §. 10. p. 34.
- g) Diff. cit. §. 5.
- h) Com. de re diplomatica Imperatric. §. CLXXXVIII. pag. 356.
- i) In praef. zu den ganz neuen Zusätzen zu dem Königlichen Titularbuche §. 3. 4. 5. conf. eiusdem autoris diplomatiche und rechtliche Abhandlung der ersten Bitte einer römischen Kaiserin, §. 4. 5. 6.
- k) In Thesauro iuris ecclesiastici. Tom. V. pag. 270.

## §. VII.



*Speciatim de titulo: Zu allen Zeiten Mehrerin des Reichs.*

Sed salua est harum formularum causa, quia earum usus in diplomatis mediis aevi haud ita infrequens est, ut hanc ob rem earum fides vacillet. Non quidem de titulo latino SEMPER AVGVSTAE hic aliqua dubitatio intercedit, quippe qui testantibus actis publicis in hoc genere litterarum inde ab OTTONVM tempore, titulo SEMPER AVGVSTI vix infrequentior est a). Cum vero successu temporis eius vernacula et sat barbara versio in consuetudinem venerit, SEMPERQUE AVGVSTI dicti fuerint zv ALLEN ZEITEN MEHRER DES REICHS b); nec mirum, vel nouum, aut indecorum et magis absconum videri poterat AVGVSTAM quoque vocari EINE MEHRERIN DES REICHS; maxime cum et reliquae imperatorum appellationes honorificae, quantum illud per rei naturam fieri poterat, et interdum etiam rei natura omnino refragante, imperatricibus inditae fuerint. Sic exempli gratia Cancellaria Curiae Romanae, ex quo per transactionem inter Imper. MAXIMILIANVM I, et Papam IVLIVM II. initam, Imperatorem Romae nondum coronatum ELECTVM vocare placuit, etiam imperatricem ibidem nondum coronatam ELECTAM nominat, quae tamen non a septem aut octo electoribus, sed unico tantum, marito scilicet Augusto, eligitur c). Genuinam vero esse indolem tituli einer Mehrerin des Reichs, optime ipso eius usu frequentiori demonstrato probatur. Hunc autem non tantum in ipsius Imperatricis ELEONORAE, sed etiam in tabulis Coniugum Augustarum Imperatoris CAROLI IV. hucusque obseruauimus; cuius rei exempla ad rei veritatem euincendam hoc loco enumerare haud superfluum erit. Fuerunt autem sequentia nobis obvia:

I. Anno 1353 ANNA Imperatrix, adstipulante marito CAROLO IV. terris quibusdam nouiter acquisitis iura et immunitates concessit, in cuius rei memoriam diploma conscriptum, quod hisce verbis incipit: Wir KARL von Gottes Gnaden Römischer

mischer Kunig zu allen Zeiten Mehrer des Reichs vnd Kunig zu Beheim: Bekennen vnd thun kund öffentlich mit diesem Brief — — Wenn die Durchleuchtigste ANNA Roemische Konigin und Kunigin zu Beheim *Vnse liebe ehliche Wirthinne* allen Mannen, Rittern, Knechten — — des Herzogthumb und Herrschaft zur Sweidnitz vnd zu dem Iawr sonderliche Briefe gegeben — — als hernach geschrieben stehtet: Wir ANNA von Gottes Gnaden Roemische Koniginne *zu allen Zeiten Mehrerin des Reichs* vnd Koniginn zu Beheim bekennen etc. d).

II. Anno 1356. Imperator CAROLVS IV. et ANNA Augusta in eodem documento silesiacis, se terras istas non ad alias manus translatuos esse, spondent his verbis: Wir CARL von Gottes Gnaden Roemischer Kayser, *zu allen Zeiten Mehrer des Reichs* vnd Koenig zu Böhmen, vnd Wir ANNA von denselben Gnaden Kayserin, *zu allen Zeiten Mehrerin des Reichs* vnd Koenigin zu Böhmen, thun kund etc. e).

III. Anno 1359. inter CAROLVM IV. ANNAM Augustam et BOLCONEM DuceM Suidnicensem de futura successione in terris Suidnicensibus conuentio inita, cui haec annexa est Imperatricis confirmatio: Vnd Wir ANNA von gots gnaden Romische Keifirin *ze allen Zeiten Mererin des Reichs* und Kunigin ze Böheim geloben etc. f).

IV. Anno 1361. Imper. CAROLVS IV. in Rescripto de Abbatie Fuldensi ita loquitur: dem Erwirdigen Heinrich Apte zu Fulde, vnfern lieben Andechtigen Fursten, vnd heimlichen Rate der durchleuchtigsten ANNEN Römischen Keiferin, *zu allen Zeiten Mererin des Reichs* vnd Kunigin zu Beheim, vnser lieben Gemahel ErzCanzler g).

Notatu dignum est, in omnibus hisce tabulis titulum quaestioneis Imperatrici ANNAE non quasi per inscitiam scribæ cuiusdam proprii contigisse; sed in Mariti Augusti Cancellaria, et ipso veluti auctore Augustam nominatam esse *eine Mehrerin des Reichs*.

C

V. An-

V. Anno 1378. ELISABETH, Caroli IV. coniux Augusta Ci-vitati Grecensi priuilegium ab Imperatore Marito conceſſum con-firmat documento, quod ita infit: Wir ELISABETH von gotes gnaden Romische Keiferinne *zu allen zeiten mererin des Reichs* vnd Kunoginne *zu behem bekennen h*).

VI. et VII. Eadem Imperatrix ELISABETH Vidua Augusta eidem ciuitati duo priuilegia concessit; vtrumque autem modo dicta formula initiali gaudet i).

Sequuntur nunc litterae ipsius Imperatricis ELEONORAE, in quibus titulus iste deprehenditur.

VIII. Anno 1455. more antiquitus solito vrbi Argentinensi ſe filium enixam eſſe nuntiat hiſce verbis: Leonora von Gottes Gnaden Romische Keyferin *zu allen Zeiten Mererin des Reichs*, Herzogin ze Oesterreich vnd Steyer etc.: Erfamen lieben getrewen. Wir thun euch zu wiſſen, das der Allmechtig Gott vns vnfirer Geburde mit frewden entlediget vnd vns einen iungen Sone beſcheret hat. Das verkunden wir euch in vntzweyvelichen getrewen Ir werdet des mit vns frewd haben. Geben zur Newnstat an Sonntag vor Elisapeth Anno domini 1455. *vñfers Keyferrhums im virden Jaren k*.

IX. et X. Anno 1459. ELEONORA non ſolum litteras pre-cum §. 5. infertas praecunte hac formula initiali dedit, ſed etiam ciuitati Auguſtanae natalem principis filii MAXIMILIANI iam diſto modo nuntiat l).

XI. Anno 1460. Eadem Auguſta miſſam a Ioanne duce Austriae institutam charta confirmauit et hac formula initiali et finali vſa eſt. Wir Leonor von Gottes Gnaden Roemische Keyferin *zu allen Zeiten Mererin des Reichs*, zu Hungern, Dalmaciens, Croatiens etc. Künigin, herzogin zu Oesterreich und zu Steyr etc. Bekennen — — — Geben zu Wien am Pfintztag — — nach Christi geputre Viertzehn hundert vnd in dem Sechtzichsten, *vñfers*

unser Kaisertumbs im Neundten vnd des Kunigreichs zu Hungarn  
im andern Jaren m).

XII. Anno 1463. et

XIII. Anno 1464. litteras primiarum precum iisdem formulis adhibitis ad Magistratus ciuitatum Argentoratensis et Nordlingenensis dedit; vrasque §. 9. cum lectori communicabimus.

XIV. Anno eodem ELEONORA Imperatrix Nicolao Lanckmanno Aulae capellani dignitatem impertivit, et in instrumenti defuper confecti initio et fine eaudem modo dictam scribendi rationem servavit n).

XV. Anno 1466. iterum Ciuitati Augustanae nativitatem filii epistola iisdem formulis concepta nuntiat o).

XVI. et XVII. Anno 1466. et 1467. ELEONORA litteras liberi commeatus impertit Ioanni Prantnero; eoque Argentinea mortuo bona eius relicta Vlrico Meichsnero tradenda curat. Vtrumque eam ob causam compositum diploma his verbis incipit: Wir LEONOR von Gottes Gnaden Romische Keyserin zu allen Zeiten Mererin des Reichs etc. p).

Ex tanta ratione formae et modi expediendi concordissimorum diplomatum copia iam abunde adparet, ELEONORAE Augustae scribam non tantum consuetum suum stylum in litteris ab ipso conscriptis seruasse, sed et morem antiquitus receptum secutum esse. Cum autem coniuges Imperatoris CAROLI IV., ANNA et ELISABETH, ELEONORAE FRIDERICI III. coniugi in concedendis litteris primiarum precum exemplum praebuerint, perquam fide dignum est, hanc quoque earum expediendi modum et formam sibi ad imitandum proposuisse. Nemo itaque iam formulam istam initialem vel indecentem vel cum ratione status haud congruentem existimare, aut fidem diplomaticis propterea sine pyrrhonisini historici reatu in dubium vocare poterit. Ad usum huius tituli nouiorem autem quod attinet, Vir in

lectione diplomatum versatissimus q) nos monet, chartas non nullas Imperatoris MAXIMILIANI I. Coniugem latino SEMPER AVGVSTAE titulo quidem condecorare, sed teutonicum: *zu alten Zeiten Mehrerin des Reichs* post tempora Eleonorae se non reperisse.

- a) Exempla vide apud HEVMANNV M. c. pag. 10, 108, 142, 220, 235, 309, 319, 322, 329, 315, 336, 372. quibus addere quaedam in praefenti non opus est,
- b) Hoc iam tempore RUDOLPHI I. factum esse, obseruare licet in pace publica Herbipoli anno MCCLXXXVIII. composta, que hinc verbis incipit: *Diese fassung des landfrits haben Wir Rudolf ain Romischer Koenig und ain Meier des Reichs — — gesetzt. Vide die neue Sammlung der Reichsabschiede*, T. I. pag. 34.
- c) V. HEVMANN M. c. §. 12. I. I. MOSER von dem Römischen Kaiser, Römischen König und den Reichswürttemberg, cap. XI. §. 9. pag. 657.
- d) FRID. WILHELM DE SOMMERSBERG script. ver. Siles. T. I. p. 865. seq. et LVNIGS R. A. Part. Spec. Cont. I. Forts. I. pag. 327. HEVMANN M. c. §. 17c. pag. 322.
- e) LVNIG cit. loc. pag. 311. HEVMANN cit. loc. §. 171. pag. 325.
- f) V. FRANZ MARTIN PEIZELS Kaiser Karl der Vierte Koenig in Böhmen. Theil 2. *Virkundenbuch* Numb. 28.; p. 319.
- g) Vid. PHIL. AD. VLICH disserf. de Archi-Cancellariatu et Primatu Abbatis Fulduff (Edit. 2., Lips. 1733.) pag. 61,
- h) Vid. C. I. von B. Geschichte der Stadt Königgrätz I. Theil (Prag. 1780. in 8.) pag. 170.
- i) Vid. Geschichte der Stadt Königgrätz, I. Th. pag. 179. et 180.
- k) Vid. Iac. WENCKERI Collecta Archiu et Cancellariae iura pag. 127.
- l) Vid. FUGGERS Spiegel der Ehren des Erzhauses Oesterreich, pag. 659. Dubiis, quae contra huius diplomatis fidem a WAGENSEILIO nota sunt, respondit DEINLIN M. c. §. 5. not. e.
- m) In PETZII codice diplom. histor. epistol. Part. III. p. 392. HEVMANN M. c. §. 189. pag. 36c.
- n) V. PETZII scriptor. ver. austriac. T. II. p. 607. HEVMANN M. c. pag. 352.
- o) V. FUGGERS Spiegel der Ehren des Erzhauses Oesterreich, p. 743.
- p) V. IAC. WENCKER collecta archiu et Cancellariae iura, p. 128. et 129.
- q) HEVMANN M. c. §. 14. p. 10.

§. VIII.

## §. VIII.

*De computatione annorum in fine diplomatis Augustae.*

De ratione annos in fine diplomatum Augustarum computandi hoc loco ideo paucis loquendum, quia haec quoque in litteris primariarum precum Imperatricis ELEONORAE offendiculo fuit. Formulam enim finalem: *Vnferes Keyserthums in dem achten, und des hungarischen Koenigreichs in dem ersten Jahre*, talem esse putat WAGENSEIL a), vt nulla ratione Augustae has sibi vindicare queant; cum et sexus conditio et reipublicae apud nos forma, sic loqui eas non patientur. Quamquam autem imperatrices vere in imperium olim non magis ac hodie adscitae fuerint, imperatoresque dum rempublicam Germanorum moderantur, maiestatem realem et veram, quae scilicet complexu iurum summi imperii ex forma reipublicae nostrae in ipsos translati absolutior, soli sustineant: satis nihilominus cognitum perspectumue habemus, etiam imperatricem Maiestatis titulo condecorari, variorum regnorum coronas ipsis aequa ac maritis Augustis impositas esse; et licet hodie nec Mediolani nec Romae inaugurentur, sed sola earum consecratio in Germania vigeat, tamen quicquid iurium praecipuorum ipsis per obseruantiam tribuitur, eius Augustae ex ipso communibio cum imperatore inito participes sunt. Hinc etiam imperatores Coniuges suas, *imperii consortes*, imo *Co-imperatrices* vocare, haud grauati sunt b); quid? quod hodieque Imperatrici, vbi coronaatur c), cuius solemnitatis tamen penes solum Imperatorem est arbitrium, diadema his verbis imponitur: *Accipe coronam gloriae, ut scias, te esse CONSORTEM REGNI, populoque Dei semper prospere consulas etc.* d). Quibus omnibus probe perpenitus nemini alienum vel inconcinnuum videri debebat, imperatrices in formulis diplomatum finalibus et ratione computandi annos mariatos Augustos aequa ac in titulorum et formularum initialium conceptione imitatas esse. Sed et praeterea nullius omnino diplomaticae lectionis fuisse eos, quibus ita anthonum computandorum

dorum ratio sublestae fidei esse poterat, maxime ex numerosa diplomatum multitudine adparet, in quibus eadem norma annos regiminis computandi seruat. Inspiciantur exempli causa litterae Augustarum paragraphe antecedenti citatae quaecunque, in quarum omnium fine, si modo numerum VI. et VII. exceperis, annos regnorum vel imperii animaduertere licet. Hos autem in istis duobus imperatricis ELISABETHAE tabulis deesse, ea sine dubio sufficiens ratio in promtu est, quod matrimonio iam per mortem Imperatoris CAROLI IV. dissoluto expeditae fuerint. Hac vero documentorum et copia et auctoritate de integritate litterarum Eleonorae euincenda nondum fatigente, ad reliquas Imperatricum, paeprimis ad Augustae BLANAE MARIAE, Imperatoris MAXIMILIANI I. coniugis litteras ablegamus, quarum fidem nemo vñquam labefactare conatus est e).

a) *De sacri Rom. Imp. summis officialibus*, cap. VII.

b) Exempli gratia provocare licet ad OTTONEM II. qui in diplomate apud VGHELLIVM in Ital. sacr. T. X. p. 211. ait: *Intervenit et petitione THEOPHANIE nostrae dilectione coningis ac consortis imperii etc. et in alio apud MADERVM in antiqu. Brunf. pag. 196. Civenient et petitione contelatis nostrae Theophaniae CO-IMPERATRICIS.*

*Iisdem fere elegiis virtutis HENRICVS II. Imp. v. LVNIGS Reicks-Archiv II. Cont. II. Fortsetz. p. 352. it. Spicil. eccl. P. I. p. 150. ibi: intervenerunt dilectionis contelati et regnorum consorte videlicet KVNGVND. De AGNETAE Imperatrici, Imperatoris HENRICI IV. coniuge exempla huiuscmodi elegi exhibet HEVMANN l. c. p. 184. Imperator HENRICVS V. coniugen BERTHAM saepius vocat Regni et throni sui consortem (participem vel sociam). Conf. HEVMANN l. c. p. 208. qui etiam de coniuge Anguita Imperatoris CONRADII III. eiusmodi exempla congesit pag. 2. Conf. IOH. FRID. IOACHIM *Sammlung vermischter Anmerkungen*, T. I. p. 306. seq.*

c) IOH. JAC. MOSCOV. *diff. de Augsborum Germaniae Augsburinique coronatione* (Tipl. 1723.) I. I. MOSERS *Staats-Recht* T. VII. p. 186. *Conf. Relationes de coronationibus quavundam Imperatricum in LVNIGS THEATRO CEREMONIALI.*

d) Augustas quoque testantibus rerum gestarum scriptoribus actu fuisse interdum imperii adiutrices, hoc loco virgere ideo non vacat, quia id quibusdam tantum ab ipsarum maritis concessum erat. Vide de hoc argomento IOH. FRID. IOACHIM von der ehemaligen gemeinschaftlichen Regierung der Kaiservinnen mit ihren Gemahlen. In den vermischten Anmerk. Th. I. Nro. 14. p. 339.

e) vid. HEVMANN *com. de re dipl. imperatricum*, pag. 370. 372. 374. 375. et IENICHEN l. c. §. VI. pag. XXVII.

§. IX.

## §. IX.

*Primae preces Imperatricis Eleonorae de anno 1463.  
et de anno 1464.*

Ad roborandam fidem litterarum primariarum precum ELEONORAE Augustae, quarum causa in antecedentibus paragraphis dicta est, multum conferunt duae aliae eiusdem Imperatricis chartae, quarum ob exercitium iuris primariarum precum, quod ex iis adparet, hoc loco mentio facienda est. Prima earum continet litteras ad Senatum Argentoratensem pro Conrado Welgkero Presbytero, quae huius sunt tenoris a):

Wir LEONOR von Gottes gnaden Römische Keyserin, zu allen zweien Mererin des Reichs, zu Hungern, Dalmatien, Cratien etc. Künigin, Hertzogin zu Oesterreich, zu Steir, zu Kemden, und zu Krain, Grävin zu Tyrol etc. Entbieten den Ersamen vnnfern und des Reichs lieben getrewen, Ammeister und Ratte der Stat zu Straßburg unnsfer gnad und alles gut. Ersamen lieben getrewen, Wann wir aus Kayserlicher und küniglicher angeporner gutigkeit geneigt seyn, Allen denen, die sich Got dem Allmächtigen zu lob ere und Dienst, in priesterlichen stand ergeben haben, unnsfer kaiserliche gnad furderung und Hilfe zutun, und Wir dann unterricht seind, das sich der Erber unser andächtiger Conrad Welgkero Priester Speierer Bistums, in gutem Wesen und frumbkait halte, deshalben Wir Im zu genädiger furderung und Hilfe insunderhait geneigt seyen, und uns dann alles guten zu euch versehen, föllichs angesehen, so begern Wir an ewch mit gantzem fleis ernstlich bittende, das Ir unnsfer kaiserlichen Maieslät zu erten, und umb dier unser kaiſerl. ersten bete willen, die Wir hiermit an ewch legen, demselben Conraten die nächst ledig Gotzgabe und Pfründ ewrer geiflichen Lehenſchaft, die dann Er oder sein Precurator an seiner stat an ewch ervordern und begern wirdet, verleihet, vnd In damit für all ander güttlichen fürſehet und begabet, und unns föllichs nicht verzeichnet, funder ewch darinne so gutwillig

willig beweiset, damit de benannte Conrat, *söllticher unsrer kaiserlichen ersten bete ew gäntzlich emphind genoffen haben*, Als uns dann von ewch zu beschehen nicht zweifelt, *daran erzeigt Ir uns sunder Dancknäm und gut wolgefällen, und tzu gut nicht vergessen wellen*; und begern darum ewer geschriben antwurt und zusagen. Geben zu der Newnstat an St. Kathrein tag anno Domini 1463. *unisers Keiserthums im zwelfsten Jare.* Altera ELEONORAE imperatricis charta, cuius mentio hoc loco facienda est, anno 1464. Magistratui ciuitatis Nordlingenis Diepoldus Kastner Clericus Constantiensis episcopatus commendatur b). Tanta vero eius cum litteris antecedentibus ad magistratum Argentoratem datis est verborum et rerum conuentientia, vt ea transcribenda pace lectorum facile supersedere poslimus.

a) Primus eas edidit IAC. WENCKER in collectis archivii et cancellariae iuribus pag. 127. u. VI. Quem fecuti sunt HEVMANN. l. c. p. 358. et SENCKENBERG l. c. in codice Probat. Adiunct. XLII. pag. 55.

b) Diuulgauit eam DAN. EERH. DOLPIVS im grundlichen Bericht von dem alten Zustand und erfolgter Reformation der Stadt Nördlingen (Noerdingen 1738. in 8.) In append. N. 29. legitur eadem apud HEVMANNVM l. c. p. 359. et SENCKENBERGIVM l. c. adi. XLIII. p. 56.

## §. X.

### *Preces BLANCAE MARIAE Imperatricis.*

Nouissimae tandem chartae, quas ad causam nostram excitare licet, BLANCAM MARIAM, *Galeacii Mariae Mediolanensis* Ducis filiam, secundam, vel si maius tertiam, Imperatoris MAXIMILIANI I. coniugem, ipsi anno 1494. d. XVI. Martii matrimonii vinculo iunctam, nunquam autem a Pontifice Romano coronatam, autorem habent. Earum autem triga haec tenus ex archiis protracta et in vulgus edita est. Prima scilicet continet huius Imperatricis primarias preces pro Michaelie Kaltenhofer ad ecclesiam collegiatam Onoldinam S. Gumperti de anno 1494. a); altera vero preces anno 1495. pro Hieronymo Alt-

*Altheimer* presbytero Augustanae dioeceseos ad Magistratum Nordlingensem decernit b); *Tertia* tandem de anno 1469. litteras ad ecclesiam collegiatam B. M. V. in *Elsass-Zabern* Argentiniensis dioeceseos pro *Iacobo Villinger* clero Basiliensis dioeceseos datas sistit; quam nouissime nobiscum communicauit *SENCKENBERGIVS*, filius tanto, quo usus est, patre dignissimus c). Copia eius ipsi facta a Viro celeberrimo *PHILIPPO ANDREA GRANDIDIER* Argentiniensis ecclesiae Historiographo; qui diploma istud ex Tabulario episcopali Tabernensi fideliter descriptam fuisse testatur. In omnibus hisce chartis dispositiones et formulae eadem, et personarum locorumque nomina tantum mutata sunt; adeo ut pro consilio, quod in praesenti sequimur, sufficere possit, si vnicam eamque primam huic commentationi inserimus; cuius tenor hic est:

BLANCA MARIA diuina fauente clementia Romanorum Regina semper augusta: Hungarie Dalmatie Croatie etc. Regina. Archiducissa austrie. Ducissa Burgundie, Brabantie, Stirie, Carinthie, Carniole et: Comitissa Flandrie, Tirolis, Artesiae etc. Honorabilibus deuotis nostris Preposito Decano et Capitulo Ecclesiae collegiate Sti Gumperti in Onolzbach gratiam regiam et felicitatem. Cum nuper diuinis auspiciis ad regalis sublimitatis apicem prouecte faustum *auguste nomen confecute* fuerimus, non alienum a dignitate nostra existimauimus, si inter alia Ro. regni iura, laudatas diuque afferuatas consuetudines nulla sui parte imminutas conseruare curaremus. Quamobrem cum nobis precedentium nostrarum vestigiis inherentibus ius ac facultas tributa sit nominandi seu decernendi *regias precies ad omnes et singulos beneficiorum ecclesiastitorum collatores collatrices Capitula Collegia sua Conueniis per Ro. regnum beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura etiam si Canonicatus prebende personatus administrationes officia vel dignitates in cathedralibus Metropolitanis vel collegiatis ecclesiis haberentur: ad predictorum scilicet Collatorum Collaticum Capitulorum Collegiorum sua Conuentuum collationem ordinationem presentationem seu quamlibet aliam dispositionem*

D

fitionem

sitionem coniunctim vel diuisim vtcunque spectantia: Canonici nihilominus et prebenda cum dignitate officio vel administratione, etiam si ex persona plurium successive vacarent pro vno beneficio annumeratis computatisue: Cumque eiusmodi et precedentium nostrarum nominationibus sive *precibus Regalibus*, quas vulgo primarias *preces* appellant, vt res exigebant, iam longo tempore circa omnem repulsa obtemperatum sit. Idecirco predicti regni nostri iura et consuetudines vt tenemur prosequi, a precedentibusque ipsis nostris non degenerare volentes. *Nominationem sive preces nostras Regales* pro honesto deuoto dilecto nostro Michaelo Kaltenhofer presbytero Estaten dioecesis ad nos decreuimus decernimusque: per presentes vos adhortantes ac pro conseruatione iurium ac consuetudinum Regni nostri predicti obnoxios requirentes vt beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, etiam si canonicatus prebenda personatus dignitas vel officium fuerit, quod ad presens sive proxime quomodounque ad vestiarum collationem nominationem ordinacionem presentationem seu quamlibet aliam dispositionem pertinens vacauerit, quodque predictus Michael per se vel procuratorem suum duxerit acceptandum, eidem Micheli vel procuratori suo eius nomine conferatis ad id nominetis illique de eo provideatis, ponendo eum vel procuratorem suum in quieta et pacifica possessione: assignando ei stallum in choro et locum in capitulo cum plenitudine iuris Canonici et fructuum perceptione, qualibet *cessante contradictione*, circa premissa et officium deuotionis reverentiaeque debitum facientes: ne grauioribus censuris et penitentiis contra vos procedere cogatur. In hoc n. nostram summopere adimplebitis voluntatem, quam vobis harum testimonio litterarum explicamus. In quorum fidem presentes fieri iussimus et registrari, nostrisque pendentis Sigilli munimine roborari.

Dat. in oppido Campidone die XXIII<sup>o</sup>. Maii  
MCCCCLXXXIII.

Regni vero nostri anno primo.

Io. St. Cotta  
de manu. S<sup>me</sup> Regine.

Ergo

- a) Exhibent hanc chartam CAR. FERD. IVNGIVS in *Miscellaneorum* Tom. II.  
(Francof. et Lips. 1740. in 8.) pag. 191. seq. coll. Praef. ad Tom. III. et  
HEVMANN I. c. p. 372.
- b) Deprehenditur ea apud DOLPIVM I. c. in append. N. 27. et HEVMANN I. c.  
p. 374.
- c) In codice probationum Adiunctum XLVIII. p. 62.

## §. XI.

### *Clausula commentationis.*

Haec sere sunt monumenta iuris primariarum precum, quatenus Augustae Imperatrices illud ad tempora Imperatoris MAXIMILIANI I. vsque exercuerunt. Recentioris enim temporis exempla huius rei nulla nobis cognita sunt. Antiquiora siue dubio adhuc plura in scriniis Aularum et ecclesiarum sacris latere, ibique interitum suum expectare, vel hoc indicio esse potest, quod in omnibus in medium prolatis diplomaticis ad antiquum et frequentem huius iuris usum prouocatum sit. Et vtique optandum est, vt ab interito vindicentur, et in publicos usum protrahantur. Dum vero illis in illustri themate explanando carere nos oportet, explicationis eius periculum facimus ex subsidiis, quae ad manus sunt, inter quae si ullum, certe Imperatricis BLANCAE MARIAE documentum, auctoritatem, fundamentum et ambitum iuris primariarum precum Augustarum exponit. Hisce ergo fontibus apertis eorumque fide et perspicuitate in Iurisscientiae usum restituta, iam ad dogmata de vera eius iuris indole ex iis deriuanda progrediendum foret. Quo cum longius quam praesentis instituti ratio patitur, oratio protraheretur, huius opusculi continuationem in aliam differendam duxi occasionem, quam in novo munere Clementissime demandato mihi non defuturam esse certo spero. Scilicet REGIS NOSTRI POTENTISSIMI auctoritate et iusu, EIVSQUE AMICORVM fauore ad Themidi patriae sacra docendo dicendoque ius facienda in hanc inclytam Musarum sedem euocatus sum. Quas prouincia vt rite et more a

maio-



maioribus tradito obeatur, diei XV. Octobris hora XI. orationi aditiali habendae statuta est. Ut ergo dicto tempore PRINCEPS SERENISSIMVS, PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROFESSORES DOCTORES ET MAGISTRI PRAESTANTISSIMI, COMMITITONES GENEROSISSIMI HUMANISSIMI QE OMNESQVE LITTERARVM APVD NOS FAVTORES frequenter adesse velint, meque inter vota et publicas gratiarum actiones, benevolentiaeque captationes, de studii iuris Germanici priuati historia verba faciente, ea qua solent indulgentia audiant, primisque precibus hisce meis faueant, ea qua par est reuerentia et obseruantia oro rogoque. P. P. in Georgia Augusta die XIV. Octobr. MDCCLXXXIV.

Göttingen, Diss., 1784 (1)





1784, 13  
14  
668

COMMENTATIONIS  
DE  
**AVGVSTAE IMPERATRICIS**  
**IVRE PRIMARIARVM PRECVM**

SECTIO PRIMA.

QVA PRAEMISSA

**AD ORATIONEM ADITIALEM**

DIE XV. OCTOBR. AN. MDCCCLXV

HORA XI. HABENDAM

INVITAT

**IVSTVS FRIDERICVS**

IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR, POTENTISSIMO MAGNAE  
AR AVLAE CONSILIIS, IN ACADEMIA GEORG  
IVRIS PROFESSOR PVBL. ORDIN. ET FAC  
IVRIDICAE ASSESSOR.

GOETTINGAE,  
LITTERIS IOH. CHRIST. DIET  
ACAD. TYPOGRAPHI.

